





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS IURIDICA

DE

A D V O C A T I S.

QUAM

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO DUCE AC DOMINO

D O M I N O

C A R O L O

WIRTEMBERGIAE AC TECCIÆ DUCE REGNANTE

REL. REL.

AUCTORITATE ILLISTRIS FACULTATIS IURIDICAE

P R Ä S I D E

CAROLO CHRISTOPH. HOFACKER

IUR. UTR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. SEREN. WURTENB.

DUC. CONSILIARIO,

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS

RITE CONSEQUENDIS

DIE SEPT. MDCCLXXXVIII.

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

A U C T O R


GEORG. FRIDERIC. JOSEPH. ROSEL

MONTIS BÉLIGARDENSIS.

T U B I N G A E

T Y P I S S C H R A M M I A N I S.





V X R O

AMPLISSIMO ATQUE IURISCONSULTISSIMO

# GEORG. DAV. ROSSEL

SERENISSIMO WURTEMBERGIAE DUCI IN PRINCIPATU  
MONTISBELGARDICO

A C O N S I L I I S A U L I C I S

P A T R I  
OPTIMO, DULCISSIMO

S P E C I M E N H O C I U R I D I C U M

I N G R A T I S S I M I A N I M I E T P I E T A T I S  
M O N U M E N T U M

D. D. D.

O B S E Q U E N T I S S I M U S F I L I U S .



GEORG DAV. BÖCKEL

TEINMELTEN

1621

I F R I T T

COLLEGATION

1621

1621

1621





## §. I.

### *Origo Advocatorum.*

**P**riscis Romanorum temporibus alieno nomine agere non licet. *pr. Inst. de iis per quos agere. l. 5. ff. si Ususfr. petat. l. 11. ff. de Obl. et Act. l. 38. §. 17. de V. O. l. 123. de R. I.* Nam actiones omnes legitimae erant, i. e. certis ac solemnibus formulis constabant, *l. 2. §. 6. ff. de O. I.* quas proinde suo quemque nomine et praesentem proponere oportebat. Tres causae necessario exceptae sunt, quibus alieno nomine agere licebat, videlicet pro populo, pro libertate et pro tutela. *pr. Inst. de iis per quos.* Per actorem, Syndicum agebat Universitas, *l. 1. §. 1. ff. quod cuiusque univers. nom.* quoniam universi agere non possunt: servus per assertorem s. vindicem alienae libertatis, *tot. Tit. C. de assert. toll.* quia servo jus non erat lege agendi: pupillus per tutorem, quia pupillus propter aetatem ipse in judicio consistere non poterat. Praeterea Lege Hostilia permisum erat furti agere eorum nomine qui apud hostes essent, aut Reipublicae causa abessent, *d. pr. I. de iis per quos.* His casibus exceptis,

regulariter omnes litigantes sese in iudicio sistere et ibi causam suam ipsi agere et prosequi tenebantur. Alias licitum per Leges erat eos invitatos, etiam obtorto collo, trahere et ad Tribunal rapere, uti innuunt *DD. ad Tit. ff. de in Ius vocando et HEINECC. Syntag. Ant. Rom. ad Tit. I. de Actionib. n. 14.*

Poterant tamen, praeter supra memoratos, multi incidere casus, quibus hic procedendi modus accommodari non poterat. Quosdam indicat ipse Iustinianus *d. pr. I. per quos. Nam et morbus et actas, inquit, et necessaria peregrinatio, itemque multae aliae instae causae saepe hominibus impedimento sunt, quominus rem suam ipsi exequi possint.* Quo pertinet v. gr., si quis fori ambagum et iuris subtilitatum parum intelligens cum alio peritiori litigaret, certamine plane imparibus armis futuro; adeo ut optimam causam habens alterius eloquentia et versutia vinci posset.

Haec autem procedendi methodus adeo molesta erat, ut iam Romulus, primus Romanorum Legislator, eius incommoda sentiens, *Ius Patronatus ad imitationem Graecorum introducendo, eam quodammodo restringere, itaque duriorem litigantium conditionem lenire tentaverit.* Optionem cuivis ex plebe dedit quem vellet ex Patriciis sibi eligendi patronum, qui, inter alia, obligabatur de iure Clienti suo respondere, negotia eius curare, litiges pro eo fuscipere et eum in ius vocatum defendere. Cuius vicissim patrono operas, pecunias, aliaque necessaria praestabat. *DIONYS. HALICARN. Antiquitat. Rom. Lib. II. p. m. 84. 85. HEINECC. Syntag. Antiq. Rom. ad Inst. Tit. de Iure Nat. Gent. et Civ.*

*n. 29.*

n. 29. Exinde iam Advocatorum deducenda videtur origo nobisissima sane et illustrissima.

Quae autem, vi Iuris Patronatus soli Patricii suis tantum Clientibus exhibuere officia, illa postmodum in se transtulerunt ICti (quorum primi claris natalibus orti et patricii erant) et promiscue omnibus consulentibus de iure respondere et litigantium causas agere coeperunt; deinde etiam honoraria pro suo labore merito accipientes, ut videbimus infra: cuivis tandem de iure respondere et advocatione fungi permisum est, adeoque usus advocatorum paulatim invaluit et regulariter admissus est.

## §. II.

### *Notio et nomina advocateorum.*

Tradita Advocatorum origine, examinandum venit quinam sint Advocati? *Advocatus* dicitur a verbo *advocare*, quasi sit in consilium et ad agendam causam vocatus, GOTHOF. ad Rubr. C. de adv. div. judicior. et est *vir bonus, iurisperitus, a litigantibus rogatus ut voce vel scripto causam judici exponat, probet atque ex arte defendat, ad hoc officium publica auctoritate admissus*. HUBER. praelect. ad ff. Tit. de procur.

Advocati appellantur *Postulatores* a verbo *postulare*: est autem postulare desiderium suum vel amici sui in iure apud eum qui in jurisdictioni praefit exponere, vel alterius desiderio contradicere. l. r. S. 2. ff. de postul. ut adeo omnis Advocatus sit Postulator, sed non

— 2 —

non vice versa. Cumque postulare sit proprie pro tribunali petere L. 4. §. 8. D. de *damm. infect.* ab hac significatione removentur illa desideria, quae pro actibus iurisdictionis voluntariae interponuntur; neque etiam Advocatorum numero erunt, qui tantum pro tractatu, non ad futuri causis coram iudice agendis accipere quid solent. L. 1. §. 11. D. de *extraord. cognit.* Advocati porro dicuntur *Causidici.* L. 6. pr. L. 7. C. de *Postul.* QUINTIL. *Infr. orat.* Lib. XII. c. 1. *Togati,* L. 3. L. 6. L. 15. pr. C. de *Advoc.* I. IUVEN. *Satyr.* 7., quia illos peculiari toga, etiam purpurea amictos esse oportuit. CASSIODOR. *Epistol.* Lib. 6. Ep. 4. et ideo Consortium advocatorum Togae illustrissimae per Illyricum, per Orientem etc. praefecturæ nomine venit. L. 13. C. de *adv. div. iudic.* Insignis olim erat differentia inter Advocatum et causæ patronum; patronus orabat causam, Advocatus quounque modo opem advocanti ferebat sive ius fuggerendo, s. praesentiam suam amico simpliciter commodando. ASCON. PEDIAN. in *Cicer. Divinat.* c. 4. CUIAC. *Paratit.* in *Cod. de advocat.* divers. *iudic.* Caeterum deinde Advocati promiscue dicebantur *Causarum patroni.* L. 4. C. de *postul.* L. 1. L. 14. C. de *Adv. div. iudicior.* Antiquum Oratoris nomen, quod a causis orandis vel perorandis acceperant, GELL. *Noct. Attic.* L. 5. c. 10. L. 2. §. 43. D. de *orig. iur.* eos vix retinuisse, et magis disertos Causidicos et Advocatos et Patronos et quidvis potius quam oratores vocatos fuisse, notavit AUCTOR *Dialog. de Oratoribus* c. 1. Aliis nominibus honoris causa insigniuntur; appellantur enim *Iudiciorum Athletae, Oratores maximi et Insitiae Satellites.* prooem. π. vers. *disciplinae.* Alleg. Lib. de *Oratorib.*

### §. III.



---

 §. III.

*Differentiae advocatorum a Defensoribus et  
Procuratoribus.*

Praeter Advocatos, aliae personae in iudicio pro altero interveniunt, scil. *Defensor*, *Procurator*; olim erat *Cognitor*, qui pro praesente interveniret. *L. pen. et ult. C. Theod. de Cognit. et Procurat. PAUL. Sentent. Lib. 1. tit. 2. Lib. V. tit. 25. §. 8.* ad quem locum confer. SCHULTING. *Defensoris nomine generali veniebat Patronus*, si Orator esset; *Advocatus*, si praesentiam in iudicio commodaret; ASCON. *PEDIAN. in Cic. Divinat. c. 4.* specialiori sensu sumitur *defensor* pro eo, qui in se suscipit vices rei easque per omnia subit in iudicio. *L. 35. §. 3. L. 51. §. 1. ff. de Procur.*

Advocatus et Procurator in multis discrepant: I. *Advocatus* amici desiderium in iudicio exponit nuda advocatione s. rogatione; *Procurator* est ex contractu mandatarius, et qui litis gerendae ei curam dedit ipse est dominus. *L. 1. pr. ff. de procur.* II. *Advocatus* causam clientis lui orat, iura fuggerit, concipit libellos, preces etc. *Tit. C. de Error. Ade.* *Procurator* instrumenta aliaque ad negotium gerendum necessaria tantum subministrat. III. *Procurator*, non *Advocatus*, in iudicio satisdare, i. e. cautionem in adverarii securitatem praeffare tenetur. *L. 1. §. 12. C. de Procur. L. 3. §. 2. ff. ut in possessionem legatorum. conf. L. 23. ff. de Administr. et peric. Tut. et Cur. et Nov. 128. c. 10.* IV. *Procurator* post litis contestationem fit dominus litis. *L. 11.*

B

in

— — —

in pr. ff. de dol. mal. et met. except. L. 4. §. fin. ff. de Appellat. L. 22. L. 23. C. de Procur. non Advocatus. V. In Advocato Iuris Civilis requiritur studium, in Procuratore non item. L. 3. §. 4. L. 5. §. 4. C. de Adv. div. Iudicium. COLL. LAUTERB. Tit de postul. §. 2. VI. Advocatus, non Procurator, cogi potest ad officium, quod magis publicum est, suscipiendum. L. 9. §. Adv. ff. de Offic. Procons. L. 1. §. 4. L. 7. ff. L. 7. C. de Postul. L. 8. §. 1. ff. L. 17. C. de Procur. L. 5. ff. de Servit. praed. urbanor. VII. Advocatus in singulis causis iuramentum calumniae praestare tenebatur. L. 14. §. 1. C. de Iudiciis; non vero Procurator, a quo satisdatio exigebatur. VIII. Procuratoris officium vile magisque onus est quam dignitas, DD. ad §. ult. Inst. de Except. Advocati vero officium nobile. L. 7. C. de Postul. L. 14. C. de Adv. 1. IX. Tandem Advocati praemiis ac privilegiis condecorantur; ast ea lance merces Procuratoris penidi non potest.

#### §. IV.

##### *Divisiones Advocatorum.*

Advocati sunt vel *fisci*, vel *privati* qui privatorum causas agunt. Advocatorum fisci, quos primus instituit Hadrianus, cum iura fisci Procuratores Caesorum ante curassent auctore SPARTIANO in Hadr. c. 20. bini erant attributi Praefectis Praetorio; unus vero Praefecture cuiusque Provinciae: hic biennio, illi vero quotannis finem officii sortiebantur. L. 10. L. 12. C. de Adv. 1. BRISSON. Select. Antiquit. ex iure civili L. 3. c. 21. Eorum munus consistebat in agendis causis fisci, et curando ne fiscus aliquid detrimenti

trimenti caperet. Privati Advocati sunt vel *ordinarii*, s. statuti, vel *extraordinarii*, s. *supernumerarii*. Ordinarii Advocati sunt, qui certo numero quem superare non licet, publica auctoritate in Advocationis officio constituti et in album s. matriculam Advo- catorum relati sunt. *L. II. L. 13. C. de Adv. div. iudicior.* Ita apud Praefectum Praetorio 150. erant; ad hunc modum Prae- fectura Illyrica et Urbicaria suos habebant Advocatos. *L. 8. et 9. C. de Adv. I.* Ita quidem hi erant constituti, ut evagari vel a foro suo abesse non possent ultra certum temporis spatium. Ex- traordinarii Advocati sunt qui, quamvis supra statutum numerum sint, postulandi tamen licentiam obtinuerunt Ordinariorumque quasi Vicarii sunt. *d. L. II. §. I. et L. 13. C. de Adv. div. Iudi- cior.* Illi liberius quaqua verius Advocationem suam conferre poterant. *d. L. 13.*

Ordinarii Advocati tam in Criminalibus quam in Civilibus causis ad suscipiendum patrocinium cogi possunt *L. 7. C. de Postul.* etiam adversus Magistratum cui subsunt, salva manente ei debita reverentia, quippe quea tunc saltem laeditur, cum quid contra Ius sit. Magistratus enim Iuri s. Iustitiae administranda praest; at si quis iustum causam defendendam suscipit, non contra sed secun- dum Ius et aequitatem facit. Praeterea iniquissimum foret, Cives ope Advocatorum destitui atque iniuriis Magistratum indefensos exponi. LEYSER ad ff. Spec. 48. Medit. 3. et seq. Quod si per- tinaciter recusaverint officium praestare, imminet ipsis poena privationis officii et quidem in perpetuum, nisi iusta et compro- bata adsit excusandi ratio. *d. L. 7. C. de Postul.* Non vero idem

obtinet circa Advocatos Supernumerarios, qui pro Iubitu partibus adiutant s. causas suscipiunt; eas tamen quas suscepserunt causas ad finem perducere tenentur.

### §. V.

#### *Quinam constituant Advocatos.*

Quoad illos qui Advocatos constituere possunt, haec generalis observari potest regula: omnes qui liberam rerum suarum habent administrationem et quibus proprio nomine\*) agere licet, valide Advocatos sibi pro suo arbitrio eligere \*\*) (invitus enim non cogitur Advocatum suscipere vel retinere, WESENB. n. 5. in fin. C. *Advocat.*) vel a Magistratu petere possunt. Is enim dat potentibus litigatoribus patronos, qui eorum nomine postulent. L. nequicquam 9. §. *Adv.* et §. *final.* ff. de *Off. Procons.* Praetor initio promisit se daturum Advocatum iis qui invenire non possint vel ambitione adversarii, vel metu patronorum. L. 1. §. 4. ff. de *Postul.* Dabat Advocatum iis quibus pro se postulare prohibitum fuerat. Hoc modo et Proconsulis, etiam non potentibus foeminis, pupillis aliisve debilibus patronum dare, officium erat. d. L. 9. §. *Adv.* ff. de *Off. Procons.* Quin etiam si tenuiores

sint

\*) Et quidem non tantum admittuntur qui proprio, sed etiam aliquando qui alieno nomine agunt, ut v. g. Tutores, Curatores etc. v. L. II. C. de *Procurat.*

\*\*) Iure Civili positum est in arbitrio litigantium unum vel plures et quoescunque velint in eadem causa Advocatos adhibere L. 7. C. de *postul.* L. 14. §. 1. C. de *Judic.* nisi quis detectus fuerit separatis tractasse cum pluribus et adversario suo tali fraude subtraxisse partis defensionis copiam; tunc enim iste causa cadet. d. L. 7.

sint litigatores quam ut salario Advocato pendere possint, sump-  
tus de publico, (*Gl. et DD. in d. L. 1. §. ait Praetor ff. de Postul.*)  
aut saltem ex Aerario eleemosynarum communi sunt suppeditandi.  
*GAIL. I. Obs. 43. n. 10. cum. seq. MYNSINGER Cent. 4. Obs. 32.*  
*Ordin. Cam. p. 1. Tit. 19.* In dandis autem Advocatis Iudicis  
est providere, ut aequalis utrinque fiat distributio, sive ne periti  
Advocati tantum ex una parte stent, et ne alterutra pars inopia  
boni patrocinii damnum faciat. *L. providendum 7. C. de Postul.*  
*WESEMB. n. 2. C. de Advocat.* *Id. n. 5. in f. et n. 3. ff. b. t.*

### §. VI.

*Quinam advocati esse queant vel non.*

Iam ordo requirit ut videamus, quaenam personae vel pro se  
postulare vel Advocatione fungi queant. Necesse est ut qui ea  
vult fungi is sit qui pro alio postulare possit: pro alio postulare  
potest quicunque non prohibetur. Prohibitio autem cum ex di-  
versa oriatur ratione, varia quoque ipsa est nec eadem semper esse  
potest. Alii nempe Praetoris Edicto, alii Legibus, alii iudicis  
sententia, prohibentur. Eorum qui Praetoris Edicto prohibentur  
sunt tres Ordines secundum Ulpianum. *L. 1. ff. de Postul.* Pri-  
mus ordo eorum est qui in totum prohibentur, secundus eorum  
qui pro aliis tantum, tertius eorum qui non nisi pro se et qui  
busdam personis postulare possunt.

In primo Ordine denegat Praetor facultatem postulandi prop-  
ter pueritiam et casum. Minores nimirum XVII. Annis neutiquam  
postulare possunt; sed Praetor aetatem XVII. Annorum impleto-

rum satis moderatam arbitratus est, ut in publicum procedant. *L. i. §. 3. ff. de postul.* Nam et Servii instituto pueritia 17. annis definiebatur ab eoque anno idonei Reipubl. existimabantur, GELL. *Noct. Attic. L. 10. c. 28.* et more maiorum obtinuit, ut, qui eius aetatis essent, togam virilem sumerent eoque censerentur apti munis civium obeundis. BYNKERSHOEK *Obs. iur. rom. L. 4. c. 11.* Ingressi itaque 18<sup>mum</sup> annum pro aliis postulare possunt; suam autem causam ante 25<sup>mum</sup> aetatis annum, nisi Curatoris auxilio utantur, agere non debent. STRYCK. *Us. mod. ff. Tit. de Postul. §. 3. in fin.*

Ob casum, puta corporis vitium, prohibentur postulare Surdi, quoniam Magistratus iussum exaudire non possunt, atque ita tanquam contumaces punirentur, quod forte vel ex ignorantia iudicis, aut per iniuriam evenire posset. DONELL. *Comment. I. Civ. ad h. t.* Huc quoque pertinent furiosi, muti et quidem per se mente capti etc. etc. quamdiu nempe ob casum propria negotia peragere impediuntur.

Ad secundum Ordinem, illorum scil. qui pro aliis tantum postulare prohibentur, pertinet primo Sexus, occasionem edicto dante inverecunda illa Carfania \*), de qua *L. i. §. 5. ff. de postul. conf.*

---

\* ) In vulgatis Corp. iur. editionibus fere legitur Calphurnia, in Pand. Florentini Carfania, sed ALCIATUS Parerg. iur. L. 2. c. 37. restitut C. Afrania, disiunctis, quae coauerint, litteris. VALER. MAX. L. 8. c. 3. quoque accusat C. Afraniae improbitatem. Sed contradicit CUIAC. *Observ. L. 26. c. 38.* cui concordant ea, quae dixit PETR. FABER *ad L. 2. D. de orig. iur.* aliquae, quos laudat OSW. HILLIGER Donell. encl. L. 18. c. 3. *Lit. V.*

conf. L. 54. ff. L. 48. C. de procur. Officium quippe civile et virile est pro alio postulare. L. 2. ff. de postul. L. 18. C. de procur. Ideo mulieres ab Advocatione removendae sunt. L. 2. ff. de R. I. Accedit quod a pudore sexus sit alienum, rebus aliorum in iudicio se immiscere ac in conspectu viorum se sistere. Ex quo apparat ne pro se quidem postulare posse mulierem, et ita a principio Romae observatum fuisse colligi potest ex eo quod Plutarchus in vita Numae refert: noluisse Numam mulierem sine Viro ne de rebus quidem necessariis dicere, additque quum aliquando foemina causam suam ipsa in foro perorasset, senatum consuluisse Deos: *Equid hoc exemplum urbi portenderet?* vid. HEINECC. Elem. Iur. Civil. secundum ordinem Pandect. Part. I. §. 391. LEYSER. in Medit. ad Pand. Spec. 51. med. 8. Admittitur tamen foemina ad postulandum, si mandatum in rem suam habeat, L. 4. C. de Procurat. aut si pro parente morbo aut aetate invalido, nec alium qui pro se agat habente, agere velit. L. 41. ff. de Procur.

Coecus porro, quamquam iudex dari possit et magistratum retinere, L. 6. ff. de Iudic. L. 1. §. 5. ff. de postul. pro aliis postulare prohibetur, quia magistratus insignia revereri non potest. d. L. 1. §. 5. Id tamen olim non ita obtinuisse, argumento est illud, quod VALER. MAX. L. 8. c. 5. §. 5. memorat, pro aliis coecos postulasse Paulum, seu ut habet vulgata lectio, Publum Senatorem et Pontium Lupum, equitem Romanum. In secundo ordine etiam deprehenduntur insigni turpitudine notabiles; nam infamibus portae dignitatum patere non debent. L. 2. C. de dignit.

Huius

Huius sunt Commatis qui de Calumnia publico iudicio damnati sunt. *L. 1. §. 6. ff. de postul.* Huc referas damnatos capitali Crimine, eo scil. quo civilis mors intenditur, veluti per deportationem, in metalla damnationem; eos qui muliebria passi sunt, qui operas suas ad depugnandas bestias in arena elocarunt eove nomine se honorari i. e. mercedem sibi conferri passi sunt. vid. *L. 1. §. 6. ff. de Postul.* BRANCHU *Observ. ad ius rom. c. 5.* ubi tamen addit ICtus aequissimum esse, si tutelam v. curam huiusmodi personae administrent, quod iis pro his quorum curam gerunt postulare concedatur, utpote necessario munere fungentibus; adde *L. 6. d. t. L. 30. ff. L. 28. C. de adm. et peric. tut.*

Tertius ordo eorum est, qui nisi pro se et quibusdam personis in Edicto expressis postulare nequeant, quasi minus deliquerint hi quam illi qui superioribus Capitibus notantur *L. 1. §. 7. ff. de postul.* Minus dura igitur est conditio eorum infamium qui Lege, Plebiscito, Senatusconsulto, Edicto, Decreto Principum exprimuntur *d. L. 1. §. 8.* et qui a Praetore qualibet infamia sunt notati; unde ab his excipiendae sunt personae singulari infamia notatae et de quibus in secundo ordine mentio facta est. Personae autem, pro quibus solis postulare possunt, eae fere sunt quas in Ius vocare sine venia citra poenam non possent, puta pro parente, fratre, sorore, uxore aliquis quibus aut pietas, aut reverentia aliqua singularis debetur; multo magis pro pupillis et minoribus postulare poterunt qui non sponte, sed necessario officio funguntur. *L. 6. d. t.* veluti Tutores et Curatores pro pupillis et minoribus, fatusis. *d. L. 1. §. ult. et leg. seqq.*

Caete-



Caeterum hae prohibitiones non ita se habent, ut simpli-  
citer detur adversario facultas repellendi eos qui contra Edictum  
postulare velint, cum ne quidem, adversario volente, impune  
postulent; sanctio itaque est ex iure Praetorio descendens, ne-  
que pro emblemate Triboniani cum *Ant. FABRO in Rational. ad Pand. ad d. §. 6.* reputanda, ut qui contra faciant, praeter re-  
motionem, poena pecuniaria extra ordinem multcentur. *L. I.*  
*§. 6. d. t.*

Legibus a postulando arcentur qui non sunt Christiani,  
*L. f. C. de Postul. L. 15. C. de Episc. Aud.* item milites ne ab of-  
ficiis militaribus distrahantur, *L. 54. ff. de Procurat. L. 31. C.*  
*locat. Cond.* nec non de quota litis transigentes. *L. 5. C. de Postul.*  
Iuris quoque prohibentur imperiti. *L. II. §. 1. C. de Adv. div.*  
*iudicior.*

Certis in causis postulare prohibentur Arbitri et Iudices in  
eadem causa. *L. 17. ff. de Iurisd. L. 6. C. de Postul.* Iudicij quo-  
que Assessores eiusdem causae advocati esse nequeunt, nedum in  
suo iudicio, sed neque in alieno. *L. fin. pr. C. de Assff.* Cum  
enim de causa iudicant, eius defensionem perverse propter spem  
honorarii suscipieren. Porro non consentienti adversario potentior  
Advocatus obtrudi nequit. *t. T. c. ne liceat potent. patroc. litigant.*  
*praeftare;* ratio evidentior est, ne nempe Iudices metu vel spe  
seducti contra aequum et iustum pronuncient. In alio autem  
Iudicio s. in secunda Instantia postulare non prohibetur Iudex  
primae Instantiae atque sententiam ab ipso latam tueri. *L. 14.*  
*pr. C. de Assffor.* Nec obstat quod executio prioris sententiae, si

ea a superiore Iudice confirmatur, ad Iudicem primae Instantiae soleat remitti: eam enim ipse peragit non tam ex sua sententia, quam potius ex sententia superioris. COCCII *Iur. Civ. controv. tit. de post. q. 2.* Quod vero dictum est, iudicem primae instantiae in superiore recte postulare, de parte triumphante, neutiquam de victa, accipi debet, cum turpe esset, propriam impugnare sententiam, etiamsi is a maioribus collegii sui suffragiis disenserisset.

Advocati fisci adversus fiscum patrocinium praestare non possunt, *L. 1. C. de Advoc. fisci.* nisi pro se, vel necessariis personis, veluti pro filiis, parentibus, uxoribus, collateralibus usque ad quartum gradum et pro pupillis. *L. pen. L. ult. pr. ff. de postul. L. 13. C. de Adv. div. iudicior.* In hunc modum vetantur Decuriones patrocinium contra patriam praestare. *L. 10. ff. de postul.* uti et libertus contra patronum. *L. 4. L. fin. ff. de in Ius voc.* Vasallus contra dominum *II. Feud. 33. §. 1. in fin.* nisi pro se postulet in causa civili modica i. e. non minimae summae, sed notabilis.

Nemo porro Advocacionem suam convertere potest adversus eum, pro quo initio in eadem causa patrocinatus erat, *L. 4. §. 4. D. de his q. not. infam.* nisi forte quis impuberi, adversus cuius patrem postulabat, Tutor datus sit. *L. ult. ff. de postul.*

Similiter a postulando arcentur Clerici; *L. 41. C. de episc. et cler. L. 23. C. de teſt.* absurde enim id pugnaret cum vita quam elegerunt; haec tranquilla, pacifica esse debet; turbulentum est forum.

forum. Exceptae tamen sunt causae tum propriae, tum ecclesiae suae, et personarum miserabilium et coniunctarum sanguine vel affinitate. c. 1. 3. X. de postul.

Fiscus porro et Civitates contra privatos pro aliis quam pro se postulare merito prohibentur. Tit. C. ne Fisc. vel Resp. quemadmodum et eadem de ratione potentiores causis alienis nisi necessariorum adfistere non possunt. L. 1. C. ne liceat potentiorib. patroc. etc.

Sententia iudicis postulare prohibentur, ob calumnias quas fecerunt, vel similem iustum causam, qui Advocationibus interdicti sunt. Advocati autem interdicuntur Advocationibus vel ad tempus vel in perpetuum. L. 1. §. 13. ff. de Offic. Praefect. Urbis. L. 9. pr. ff. de poenis. conf. L. 7. 8. 9. ff. et L. pen. C. de postul. Porro ipsi vel in totum vel certo saltim respectu interdicuntur; v. g. ne certis personis adsint, ne apud hoc vel illud tribunal postulent. Interdum non Advocationibus tantum interdicuntur Advocati, verum et foro. Plus autem est foro quam Advocationibus interdicere. Cui enim forum interdictum est, is non solum Advocationibus abstinere debet, sed reliquis etiam forensibus negotiis accommodare se non potest. d. L. 9. §. 4. ff. de poen.

Hucusque vidimus quibusnam Advocatione interdicatur, ex quo facile colligimus quibusnam sit permissa, omnibus scilicet qui in dictis prohibitionibus non recensentur, prout ex quovis Edicto prohibitorio intelligi potest. Licentiam de iure respondendi

dendi et Advocatione fungendi cuivis olim datam fuisse, nec aliter quam per prohibitiones Praetorum, Principum et Legum in certas tantum personas statim coarctatam fuisse apparet. Hodie vero non sufficit aliquem in dictis prohibitionibus non contineri: quemadmodum enim Augustus facultatem de Iure respondendi nemini competere voluit nisi cui illam contulerit, ita hodie is solus Advocatus legitimus est, cui Advocatio permissa est.

Certus veluti quidam gradus publica auctoritate conferatur, nec consortio Togatorum ullum admittendum esse constituerunt Imperatores nisi Iurisperitum, quod ita procedit, si quis per quinquiennium (olim per quadriennium, *vid. Conf. Omnem §. 1. et seq. de ratione et methodo Iuris.*) Legibus ediscendis operam dederit. *L. 3. §. 4. L. 5. §. 4. de Advoc. 2. Constitut. ad antecess. §. 1. et 5.* Quapropter examen instituebatur apud Rectorem Provinciae ex qua Advocatus constituentus oriundus erat. Ibi requirebatur testimonium Iurisperitorum a quibus institutus erat. *L. 11. §. 1. C. de Adv. div. iudicior.* In hoc examine gesta in Acta publica confici debebant praesentibus cohortalibus, quibus simul aperte pateret Advocatum cohortali vitae ac fortunae, utpote viliori, minime subiacere. Examine hoc peracto, hodie antequam in Album Curiae recipiantur Advocati, praestant iuramentum generale, cuius loco olim erant singularia *Calumniae Iuramenta*, quae in singulis Causis ipsis deferebantur. *L. 1. C. de Iure inr. Calumn. Auth. hoc Sacramentum C. cod.*

## §. VII.



---

 §. VII.

*Officia advocateorum respectu iudicis  
et partium.*

Officia quae Advocatis incumbunt sese exserunt tam ratione Iudicis partisque adversae quam respectu Clientis.

I. Cum Iudex persona publica sit et Magistratus dignitate valde honorifica illustris et Dei praeterea summi Iudicis vice Iustitiam administret, officium cuiuscunque, praecipue vero Advocati coram illo agentis, est ut quam diligentissime reverentiae, modestiae et veritatis observet leges; caveat itaque Advocatus ne immodeste et iuverecunde causas agat, ne coram Iudice ludicra effetur, ne mendaciis et falsis allegationibus vel corruptionibus eum occoecandi operam det, in genere ne dolose agat; hae enim sunt artes rabularum et tales summo iure ut Iudicis contemptores et sacri Tribunalis violatores a foro arcentur vel alia extraordinaria poena afficiuntur.

II. Caveat insuper Advocatus ne conviciis partes adversas proscindat. *L. 6. §. 1. C. de Postul.* Nam ut egregie advertit DOMAT *Loix civiles dans leur ordre naturel T. II. p. m. 183.* advocatus est os Clientis, non quatenus affectibus contra adversarium commoti, sed ut liberati aestibus illis animi, quos ira eructat. Non itaque probris sed ratione et legibus pugnandum est ab Advocatis, nisi causae iusta defensio id exigat v. gr. si frater ab haereditate fratri exclusus, turpi persona instituta haerede, potest imo debet fratri Advocatus turpitudinem instituto haeredi obiicere et probare. *L. 27. C. de inoff. Testam.*

C 3

III. Ge-

III. Generale atque primum Advocati respectu Clientis officium est ut rite attenteque consideret causam propositam, num ea quid iniusti alat? Improbae enim causae denegandum est patrocinium ne, quod *Speculator* suo iam tempore proverbialiter scripsit, turpes lites turpiores habeant advocatos. v. L. 13. §. 9. L. 14. §. 1. C. de *Iudiciis*. Conf. STRYK *Diss.* 13. Vol. II. Op. de *Conscientia Advocati*.

Ideo lite contestata iurant utriusque partis Advocati *se in Clientis sui causa nullam operam nullumque studium intermissuros*: et causam bonam existimare nec falsi patrocinii sibi conscos esse etc. L. 1. 2. et ult. de *Iurei. propt. Calumn. dando*. L. 14. §. 1. C. de *Iudiciis*.

Sin autem videatur iusta causa, merito suscipitur eiusdem patrocinium et eam Advocatus omni virtute omniisque opera sua, nihil studii relinquens agere debet, L. 6. §. 3. de *Poſtul.* nisi in progressu certaminis causam Clientis falsis improbisque allegationibus fallacibusve tricis compostam esse comperiat; tunc illam non diutius fovere, sed confessim ab eius communione sepe penitus separare debet. L. 13. §. 9. L. 14. §. 1. C. de *Iudiciis*.

Sed etiam iusta causa non aliis, quam iustis et legitimis modis defendi debet, cum calumnia, propter quam iuratur, non tantum malam causam, sed et malas artes, mendacia, fraudes, frivolas deductiones, corruptiones iudicium, testimoniū subornationes aliaque eius generis ambitu suo comprehendat. L. 6. §. 4. C. de *Poſtul.* Neque vero laedunt advocati conscientiam strategemata

mata artis, quae graece Euremata vocantur, qualia in Pandectas ex scriptis antiquorum ICtorum relata inveniuntur: in rebus directo conclamatis remedia iure adprobata, ab indirecto aut a reflexo saepius iuvantia ac maiorem advocatorum peritiam prodentia.

Caveat insuper Advocatus ne ex industria protrahat litem, sed potius conetur eam ad finem quam citissimum perducere, nullo dolo malo adhibito; nam admittens in poenam Legis Corneliae sicut caeteri omnes falsarii incidet. *L. 1. ff. de L. Corn. de fals.*

Caveant etiam Causidici, ne infami collusione praevericentur oppugnando Clientem suum sub specie patrocinii; proprio sensu dicitur praevericatio, ubi quis in publico iudicio dicis causa accusandi munere defungitur, ac proprias probationes dissimulat aut enervat, falsis vero Rei excusationibus vires suppeditat easque admittit. Poena autem praevericantis sive in privato sive in publico iudicio extraordinaria est. *L. 1. §. 1. ff. de praever.*

Quod Advocatos fisci attinet, hi I. non debent adversus fiscum causam dicere, praeterquam si causam suam agant, aut parentum aut liberorum vel pupillorum quibus Tutores sunt. *L. 1. C. de Adv. fisci. L. pen. L. ult. pr. ff. de Postul.* II. Ne fiscalia commoda occultent, praevericent, colludentes cum adversario. III. Ne sub praetextu tuendae rei fiscalis, privatos calumniis falsisque imputationibus, ad bona eorum fisco vindicanda laceffant. *L. 3. C. d. t.*

### §. VIII.

## §. VIII.

## *De honorariis Advocatorum.*

*Lege Cincia*, Plauto Fragm. ap. Festum *Minerali* dicta, lata Anno Urbis **DXLIX**. Autore Marco Cincio Alimento Trib. Pleb. quamque egregie exposuit *Frid. BRUMMER* in *Commentario de lege Cincia*. *Paris. 1668.* 4. olim caustum erat, ne quis ob causam orandam pecuniam penumve donum munusve acciperet. **LIV.** *Hist. Lib. 34. Cap. 4. et TACIT. Annal. L. II. c. 5.* Excitaverat, Portio Catone ap. *LIVIUM* l. c. animadvertente, hanc legem, quod vectigales iam et stipendiariae plebes esse Senatui cooperant. Sed et videbatur hoc primae institutioni Patronorum et Clientum inter se et Advocatorum origini magis conforme et magis honorificum, ut Oratores ex mera generositate et pietate magis quam pro salario v. honorario linguam commodarent. Dein non deerant alia huiusmodi laborum praemia, splendidissima scilicet in Republica munera et dignitates, quae a Pop. Rom. illis conferri solebant. Legis Cinciae auctoritas patronorum avaritia fere ceciderat sub Augusto, sed per Senatusconsultum *A. V. C. 737-c.* *Furnio et Silano Coss. conditum*, adiecta poena quadruplici ex lege repetundarum, revixerat, *DIO CASS. Hist. L. 54. p. 533.* donec sub Claudio in Senatu constitutus fuit modus muneribus Oratorum ad dena usque Sestertia i. e. centum Aureos in singulas causas. *L. I. §. 12. ff. de extraord. cognit.* *BRUMMER ad L. Cinc. cap. 4. n. 7.* *GRONOV. Tract. de sestertiis s. pecuni. veter. c. 15.* Excepti tamen sunt nonnulli patroni, qui Advocati honorati dicebantur, nec honorarium accipere poterant, *L. 6. §. 3. et 5.* *C. de*

*C. de Postul.* ingens nimurum salarium ex publico percipientes et honorem inter ceteros obtinentes, LAMPRID. in Alex. Sever. L. 2. *C. Theod. de Concuss. Advoc.* MERILL. Observ. L. 5. c. 25. sique si turpi lucro et pecunia capiantur, veluti abiecti atque degeneres inter vilissimos numerabantur. Vocatur hoc Advocatorum prae-mium honorarium, non merces, civili vocabulo ad significandum plus accipere Clientem ab Advocato quam hunc ab illo, et hono-rarium dari non ad plenam laborum mercedem et compensationem, verum potius ad qualemcumque remunerationem et grati animi testimonium.

Honorarium Advocatorum vel conventione partium deter-minatur, vel a Iudice pro modo litis proque Advocati facundia et fori consuetudine definitur. L. 1. §. 10. ff. de extraord. Cognit. Definitum tamen hisce modis honorarium legitimam quantitatem quae in singulis causis est de Iure Civili usque ad 100. Aureos excedere non potest. d. L. 1. §. 10. et 12. Si autem quis ultra quantitatem illam honorarium sibi paciscatur, pactio pro eo quod excedit adeo inutilis est, ut solutum ex ea repeti possit. MAGON. Cynos. Advoc. p. 1. c. 8. Imo si post causam actam cauta est ho-noraria summa, peti potest usque ad probabilem quantitatem, sic tamen, ut computetur id quod datum est, cum eo quod de-betur (ex cauta honoraria summa), ne utrumque compositum licitam quantitatem excedat. L. 1. §. 12. D. de extraord. cognit.

Vel Annuum Salarium pro negotio aliquo peragendo, vel non annum, sed determinatum quoddam honorarium pro integro negotio Advocationis promittitur. Illud integrum tanquam Sola-

D

tium

gium \*) debetur heredibus qualibuscumque s. legitimis, s. ex testamento, etiamsi Advocatus, modo officium peragere coeperit, initio Anni deceperit. *L. 15. §. 1. de Adv. div. iudicior. L. 3. §. 6. C. de Adv. div. iudicium.* Hoc pro ratione operae ab Advocato praefitiae iuxta consuetudinem fori vel aequo Iudicis arbitrio determinatur. Nulla itaque opera praefita, nihil debetur. *d. §. 1. L. 15.* Dictae quidem Leges loquuntur saltem de Advocatis fisci, unde ad alios Advocatos privilegium illud extendi non debere statuit *Iust. Henr. BOEHMER D. de anno servito in Exerc. ad Pand. T. III.* Sed propter *L. 16. in fin. C. de Adv. div. Iudicior.* merito ex communi interpretum sententia, quam referunt MYNSINGER *Obs. Cent. 3. Obs. 8.* Iac. GOTHOFREDUS *Tract. de Salario. c. 6. §. 22.* ad Advocatos privatorum extenduntur; ut et ob identitatem rationis ad casus, si ante Annū lis finita sit, aut Advocatus non requisitus parum vel nihil operarum praestiterit; (per ipsum quippe non stetit quominus eas praestaret. *L. 1. §. 13. ff. de extr. cognit.*) aut si honorario in casum Victoriae promissa causa amicabiliter transacta fuerit. Transactio enim prima res est Advocato tentanda, eaque obtenta partes suas melius adimplavit ac si diuturnum aliisset Iudicium. Advocati quoque hoc Iure gaudent, ut acta tamdiu possint retinere donec honorarium acceperint. *arg. L. 25. in fin. ff. de Procur. BRUNNEMANN in Comment. ad L. 25. ff. Solut. Matrim. n. 3.*

In

\*) In *L. 4. C. de adv. divers. indic.* dicuntur puncti folatia, quae qualia sint, disquirunt *CUTAC. L. 13. Obs. 2.* *Ian. a COSTA ad Decretal. Tit. de postul.* *Iac. GOTHOFRED. ad L. 3. C. Th. de postul.*

In concursu vero creditorum, p[re]a reliquis creditoribus, nullum habent praelationis privilegium Advocati, intuitu honorarii quod ipsis debetur, cum nusp[er]iam id privilegi[um] eis datum sit nec etiam mercenariis famulis sint exaequandi. LAUTERB. Coll. Pand. Tit. de postul. §. 30. de PUFFENDORFF Observ. iur. univ. T. II. Obs. 71.

Maxime bonis moribus, pudori, iustitiae adversatur pactum quod appellant *de quota litis*, quo Advocatus cum Cliente suo quem in fidem suam accepit, pendente lite, de parte rei litigiosae, sive de societate futuri emolumenti paciscitur. L. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit. L. 53. ff. de pactis. L. 20. C. Mandati. Si quis autem ita turpiter Clientem suum depraedasse ac pactionem istam piraticam exercuisse arguatur, a professione sua penitus arcetur. L. 5. C. de postul. Ne alios quidem Contractus veluti emptionem vend. pendente lite Advocatus cum Cliente suo celebrare potest. L. 6. §. 2. d. 4. Duae rationes subesse videntur: prima est ne sub praetextu alicuius ordinarii Contractus de quota litis paciscantur et sic fiat fraus praecedenti prohibitioni. Secunda est ne potentia quam habet Advocatus in item, ipsi facultatem praebat vexandi Clientis eive iacturam litis minandi, qua a Cliente extorqueret id quod iure Contractus ipsi obvenisset. DONELL. Comm. Iur. Civ. L. 18. c. 3.

Cum pacto de quota litis confundi non debet Palmarium, de qua singulari Dissertatione exposuit LAUTERBACH, cum praeter legitimum honorarium, praemium victoriae causa datur vel promittitur. L. 1. §. 12. ff. de extraord. cognit.

D 2

Si

Si palmarium ante causam actam, scilicet dubio adhuc existente litis eventu promissum, invalidum est; si vero post causam actam cautum scilicet promissum est, recte peti potest usque ad probabilem quantitatem, i. e. 100 Aureos. *d. L. 1. §. 12.*

Variae actiones in promptu sunt, quibus Advocati praemia a privatis consequi possint. Habent autem paratam Condictio[n]em certi, si certum quid promissum sit. *L. 9. pr. ff. de R. C.* et quidem ex stipulatu, si stipulatione. *L. 1. ff. de V. O.* Condictio[n]em vero ex lege *L. un. C. de Suffrag.* si nudo pacto promissum sit. Ubi vero nihil conventum, cum nemo rei suae operaevae iacturam facere voluisse praesumatur, iustum est ut, petente Advocato, Iudex ex officio suo nobili implorationem eius exaudiat, et ita in hac re versetur ut pro modo litis, Advocati facundia et fori consuetudine aestimationem adhibeat. *L. 1. §. 10. ff. de extr. cogn.*

### §. IX.

#### *De publicis praemiis advocatorum.*

Nunc aliquid de publicis praemiis subnectendum esse videatur. *Laudabile vitaeque hominum necessarium Advocationis Officium maxime principalibus praemiis remunerari oportere dicit Imp. Anastasius L. 4. C. de Adv. 2.* Praemiorum autem et privilegiorum quedam omnibus Advocatis communia, quaedam Advocatis huius aut illius fori, potissimum Advocatis fisci, peculiaria erant.

Com-

Commune habent privilegium omnes Advocati, ut onerum personalium s. munerum civilium immunes sint. *L. 6. L. 13. in fin. C. de Adv. 1.* excepto arbitrio a quo suscepto recedere non possunt; ab ulla enim opera quae arbitrio et sententia transfigitur, sive illud sit receptum ex compromisso, sive sint Iudices dati, se excusare non possunt, dum ne dati in negotio in quo sunt Advocati. Praeterea quicquid acquirunt occasione Advocationis in patria potestate constituti, id habent instar peculii castrensis in quo pro patribus fam. habentur. *L. 4. L. 8. C. de Adv. 1.*

Sed hic non consistebat favor principalis; filii quippe togatorum causas agentes caeteris supernumerariis praferentur, modo dotibus necessariis pollent. Gratis quoque illi admittentur absque suffragii praestatione. *L. 11. §. 1. C. de Adv. L. 3. §. 5. L. 5. L. 7. de Adv. 2.*

Hoc porro privilegio omnes fulgent Advocati, ut nobilitate quadam donati esse censeantur, prout non obscure colligas ex elogiis et epithetis quibus nostri passim illustrantur; ita in *L. 7. C. de postul.* nobilissimi adpellantur et *Ulpianus nobilis* dicitur in *L. 2. in fin. ff. de excusat. Tut.*

Hoc iterum habebant honoris Advocati, ut primates eorum ad gradum et officium Advocati fisci provehi solerent. *L. 2. C. de Adv. 2.* Sed hoc singulare Advocatis Comitis rerum privatarum et Proconsulis Asiae, ut inter clarissimos connumerarentur. *L. 1. C. de Adv. 2.*

Super-

Supererminent privilegia et salaria Advocatorum fisci: hi enim in officio manentes inter spectabiles facri consistorii Principes Comites habentur. *L. 4. §. 1. C. de Adv. 2.* Nec cum de lite quacunque pulsantur quicquam sportularum nomine solvere tenentur. *L. 7. §. ult. C. de Adv.* Officio vero defuncti Exconsularis Praefidis Provinciae dignitate decorantur. *L. 13. vers. Egradientem C. de Adv. 1.* Horum filii inter clarissimos Notarios numerantur *L. 4. §. 2. C. de Adv. 2.* et defunctis patribus, ut et extranei patronorum fisci heredes capiunt totius anni solatia. *L. 15. §. 1. C. de Adv. 1.*

T A N T U M.



PRAENOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S T E S.

Quod mihi exhibuisti eruditionis in scientia legitima apud Basileenses et Argentoratenses comparatae Specimen de Advocatis tractans, intactum fere TIBI reddo; temporis, quo apud nos versabar, angustia id non ferente, ut praeter observationiculam unam alteramve umerius augmentum pararem argumento certe utili et solicita tractatione non indiguo. Ceterum non possum non grata hac opportunitate uti, ut et TIBI de summis, quos merito TUO parasti, in iure honoribus, et amplissimo PARENTI, quem coram venerari nobis licuit, de laudabili filii in patriam redditu impense gratuler. Dat. e Museo d. 2. Sept. 1788.







Tübingen, Diss.) 1783/88

VD18



f5b



DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

A D V O C A T I S.

QUAM

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO DUCE AC DOMINO

DOMINO

C A R O L O

WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ DUCE REGNANTE

REL. REL.

AU<sup>P 315</sup> X-RITE colorchecker CLASSIC

CAL TATIS IURIDICAE  
D E  
H. HOFACKER

RD. SEREN. WURTENB.

PR IURE HONORIBUS  
ENDIS  
LXXXVIII.

SUBMITTIT

R

SEPH. ROSEL  
DENSIS.

E  
IANIS.

